

conjungunt, 3) quod officium musicum seu pronuntiativum, quatenus voces distinctas distinguit & conjunctas conjungit, & præterea vocem decore elevat & submittit, sit universale, quia reliqua officia comprehendit. Inepta ergo sunt omnia atque caduca, quæ Frankius de primario accentuum officio distinctivo §. 17. 18. 19. contra Cl. Virum blaterat.

§. IX.

Officium accentuum oratorium probaverat Vir Cl. ex Atnacho & Silluko. Sed probationis vim non penetraverat stupidus Frankius, tot præjudiciis obrutus, quare §. II. scripsit: *quamvis hanc consecutionem accentuum non negem, nec illum pronuntiationis modum, optatissimum tamen mihi foret, & fortasse etiam aliis, si hoc argumentum forma logica proposuisset. Sic videre possemus, utrum valide concluderet, an vero principium peteret: præcipue si ad cantillationem deflectit.* Ob hominis stupiditatem argumentum illud in formam redigam. Si Atnachus & Sillukus indicant, duas voces in versu tono submissio & cum pausa esse legendos, sequitur, quod in quovis versu pronuntiatio ad cantum deflectat. Atqui prius est ex confessione Frankii, E. & posterius, quod nempe quivis versus cantu quodam sit legendus. Sed Frankius dicet: concedo præmissas & nego conclusionem. Præmissas enim, uti ex ipsis verbis patet, concessit, sed conclusionem negat. Aliud stupiditatis argumentum invenimus. In §. 12. dixerat Cl. Vir: hoc bene perpenso (quod scilicet accentus sint signa pronuntiationis decoræ) omnis difficultas, quæ hætenus accentuum interpretes pressit, facile tollitur, & de omni accentuum positu ratio reddetur. Nunc videamus, quid garriat noster Frankius. *Quod etiam de illis vocibus, quæ duplicem Accentum habent, asserit. Sed quæro, qualis illa pronuntiatio, quæ omnem difficultatem tollit? Respondebit: modo celerior, modo tardior. Sed quæ ratio hujus diversitatis? Respondet: vel vocum paucitas & brevitæ, vel affectuum latentium diversitas, vel pronuntiationis, vel denique S. Punctatoris libertas. Hæc examinanda.* Sed festina lente, mi Franki; percipe ante mentem, quam examen instituas. Quantum ex dissertatione capio, Viro Cl. est fermo de decora codicis lectione, quæ posita est in vocum conjunctione & distinctione, in vocum elevatione & sub-

mis-